

TABVLA RECITATIONVM

IN

ACADEMIA LVDOVICIANA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A DIE XXX. APRIL.

CIOIOCCCLXXXI.

IN CHOANDARVM.

RECTOR

ACADEMIAE LVDOVICIANAE

D. HELVICVS BERNHARDVS

IAVP

CVM SENATV.

C. Suetonius Tranquillus, in vita Iulii Caesaris c. XXVIII. originem belli civilis inter Caesarem atque Pompeium referens his verbis usus est: „M. Claudius Marcellus, Consul, edicto praefatus, de summa se republica acturum, retulit ad senatum, ut ei (Caesari) succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus, & ne absentis ratio in comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de iure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submouebat, ne Caesarem quidem exciperet, per obliuionem, ac mox lege iam in aes incisa & in aerarium condita corrigeret errorem. Aucta scilicet in dies gloria Caesaris bellica, occiso Crasso atque defuncta Iulia excitata fuit Pompeii in Caesarem inuidia, quam etsi palam prae se ferre nollet, variis tamen institutis declarauit, quae ad infirmendam potestatem Caesaris spectarunt, duobus potissimum legibus (teste Dione Cassio Libr. XL.) in tertio consulatu suo latis, altera, omnibus, qui a viginti inde annis magistratus gessissent, rationem reddendam esse, altera, ne absentis ratio haberetur, sed, qui magistratum peteret, comitiis ipse interesset. Etsi hac posteriori rogatione pristinam tantum legem renouaret, tamen nemo non videt; eam Caesaris causa, qui absens in Gallia secundum consulum ambiebat, latam fuisse. Quum procul dubio aegre id ferrent, qui a partibus Caesaris stabant, Pompeius, qui celare inimicitias suas cum Caesare cupiebat; callide satis simulauit, se in ferenda lege Caesaris immemorem fuisse, & legi iam in aes incisae exceptionem Caesaris causa addidit. Marcellus consul, qui tunc sine dubio ipso Pompeio instigante illa ad senatum rerulit, inter caetera illam legem de magistratibus vrgebat, simulque dubitationi, quae senatoribus nonnullis in mentem venire poterat, obuiam ire studebat, ostendens, illam legem quidem immutatam postea a Pompeio, ei quidem obrogatum, sed non abrogatum fuisse. Ipsa etiam mutatio legis a populo sancitae, & iam in aerarium conditae per solum Pompeium valida esse non poterat. Quibus quidem quum optime cohaerere verba Suetonii appareat,

reat, superfedere omnino possumus sagacissimorum virorum, *Burmanni*, *Io. Frid. Gronovii* & *Io. Aug. Ernesti* emendatione, qui pro *neq. plebiscito* legere iubent & *plebiscito*. Quodsi *Marcellus* concesserit, legem vere per *Pompeium* abrogatam fuisse, allegare eam minime potuisset; quodsi affirmatiue de *Pompeio* locutus sit, omnino pro *abrogasset* suadentibus iisdem viris celeberrimis legendum esset *obrogasset*, quia *Pompeius* non publico consensu irritam legem fecit, sed tantum aliquam exceptionem sua ipsius autoritate adiecit. Adactum videmus S. R. *Ernesti* ad coniecturam illam comprobendam errore haud leui, quo legem *Pompeii* de magistratibus confudit cum lege *C. Curionis* tribuni plebis *C. Claudio Marcello* & *Aemilio Paulo* consulibus in fauorem *Caesaris* perlata, de qua hic *Suetonius* cogitare non potuit, quum capite demum XXIX. de rebus gestis illius anni, atque conaminibus *Curionis* verba fecerit. Verba S. R. *Ernesti* haec sunt: „Nam consequentia, ostendunt, *Pompeium* non abrogasse plebiscitum in *Caesaris* gratiam factum, vt eius absentis rationem in comitiis consularibus habere liceret, noua lege, sed ei tantum obrogasse. — Quibus praemissis, iam exhibebimus Vobis, *Generosissimi* ac *Praenobilissimi Commilitones*, tabulam praelectionum ex omni scientiarum genere vtilissimarum. Nota Vobis praestantissimarum artium, quarum Vobis hic institutio offertur, vtilitate, notis Vobis nominibus ingeniisque eorum, qui iterum Vobis operam suam pollicentur, nota nobis *Vestra* discendi auditate, plura addere superuacaneum videtur.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. HERM. BENNER, *Academiae Senior*. Instar omnium Compendiorum, *theoriam* & *praxin religionis* exhibentium, erit plenior *Sermonum Christi* exegesis, quibus Ille, quaerentibus *de via in caelum*, respondit. Hos ego sermones feligam, & fusius exponam; magnae frugis opus. *Catecheseos practicae exercitium* fuscipiam: singulis Nundinis prelo subiecturus nouum *specimen* earum, quas haud pridem incoavi, *meditationum Horae* docendi: XI-XII. IV-V. Plura, vires & aetas deprecantur.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD. Per instans semestre aestivum hora VII. b. Heilmanni *theologiam dogmaticam* praeleget, hora VIII. *veritatem religionis Christianae* duce Ven. *Lessio* demonstrabit, hora VIII. in Ven. *Ernesti* interpretem N. T. commentabitur, hora XI. *scholas catecheticas* aperiet, seu, harum loco, si auditoribus ita videbitur, *epistolas Pauli ad Timotheum, Titum, & Philemonem* interpretabitur.

D. LVD. BENI. OUVRIER. Hor. VII - VIII. tradet *Theologiam moralem* duce D. *Lessio* IX - X. *Dogmaticam* praeunte Danouio. XI - XII. enarrabit *historiam ecclesiasticam*, V. T. ad ductum. *Spanhemii*, & dubia contra illam resoluat, simul antiquitates iudaicas illustrabit. Collegium homiletico - practicum continuabit Hor. XI-XII. diebus Mercurii & Saturni.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH *Institutiones* ex HEINECCII elementis nou. edit. hor. VIII. *Pandectas* duce BOEHMERO hor. IX. & XI. *Ius criminale* ex suo compendio hor. X. *Ius canonicum* ex G. L. BOEHMERO hor. II. sex per hebdomadem diebus tradet. *Doctrinam successionis ab intestato* hora commoda docebit ad filum sui libelli. Offert quoque iis, qui profectuum suorum periculum facere cupiunt, *disputatorium* aut *examinatorium*.

D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT Hor. VII - VIII. *Ius feudale*; hor. VIII-IX. *Ius publicum* I. R. G.; hor. XI-XII. *Ius priuatum Germanicum*, ducibus BOEHMERO, PÜTTERO & SELCHOVIO tradet. *Scholas diplomaticas & processuales practicas* volentibus denuo aperiet.

D. HEL-

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP *Publice* hora VIII-IX. diebus Martis & Veneris *ius priuatum principum* praeleget. *Priuatum* hora X-XI. *historiam imperii*, praeunte PÜTTERO in compendio nouissimo sub tit. *Kurzer Begriff der teutschen Reichsgeschichte* (1780.), hora II-III. *ius publicum Germanicum* exponet; ad praecepta quoque *processus summorum imp. tribunalium* idoneo auditorum numero tradenda paratus.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALB. BVCHNER, Iur. P. P. O. Praelectiones semestri aestiuo habendas e valuis publicis indicabit.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. Hor. X. diebus D. M. P. & S. fundamenta sua diaetetica, sub titulo viae valetudinem secundam tuendi prostantia, explicabit. Eadem hora, diebus M & Vni, politiam medicam, a se editam, proponet. Hor. XI. singulis diebus profectis, pathologiam atque therapiam specialem, longo vsu firmatas, praeunte b. m. Dn. Io. Zach. Platnero in arte medendi singulis morbis accommodata, nota diligentia tradet. Praeter ea ad quamuis scientiae salutaris partem, ex Dn. Commilitonum voto ac vsu, enucleandam, paratus erit.

D. CHRISTOPH. LVDOV. NEBEL, Med. Chir. & art. obstetr. Prof. Ord. Chirurgiam hora XI-XII. in Platneri institutiones tradet. Artem obstetricalem ex Steinii Compendio hora III-IV. explanabit. Saturni diebus Collegium disputator. in theses ex vniuersa medicina aperiet.

D. IO. LVD. FRIED. DIETZ, Prof. Med. P. O. Physiologiam duce Hallero H. IX-X. explicabit, illamque tam iconibus, quam praeparatis anatomicis illustrabit. H. X-XI. Anatomiam theoreticam ad Plenckii compendium proponet. Praelectiones in Osteologiam, Albino praemonstratore, nec non in Pathologiam generalem ex institutionibus Ludwigi desiderantibus dare, haud deerit.

D. CAROLVS GVILIELMVS CHRISTIANVS MVLLER. *Publice* binis per hebdomadem horis historiam medicinae litterariam continuabit. *Priuatum* hor. VII., physicam experimentalem tradet, vsurus cel. Becmanni libro. Hor. III., Botanicen ad normam Phil. bot. & syst. veget. Equitis a Linne docebit. Hor. IV. Pharmaciam ex cel. Rezii primis lineis persequetur, formulas ex dispensatoriis optimis librisque practicis simul enucleabit. *Priuatissime* votis desiderantium annuens duodecim per hebdomadem horis & quidem X-XI. XI-XII. therapiam specialem recitabit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, Log. Metaph. & Math. P. P. P. *Logicam* h. VII., *metaphysicam* h. VIII. ad ductum compendiorum a se editorum, *mathesin puram* h. II. *applicatam* h. III. praeunte WOLFIO im Auszug aus den Anfangsgründen, denique priuatissime *architecturam militarem* aut *algebram* docebit; bibliothecam publicam tempore consueto aperiet.

IOH. CHRISTOPH. FRIED. SCHVLZ, LL. Or. & Gr. P. P. O. *Publice* hor. XI. d. B. partem profaicam libelli sui: *Hebraisches Elementarbuch*; *priuatum* hor. X-XI. Lucam ex recensione Griesbachiana, hor. XI-XII. Iesaiam ex propria textus recensione interpretabitur. Ead. hor. d. Merc. & Saturn. praecepta theologiae moralis, superiori semestri tradita, selecto auditorum numero examinando inculcabit. *Priuatissime* Xenophontis Cyropaediam perleget — linguam anglicanam pro more tradet hor. I-II.

D. CHRISTIAN. HENR. SCHMID, Poet. & Eloqu. P. P. O. *Publice* Hor. II-III. *Iuuenalis* Satiras illustrabit; *Priuatum* Hor. VIII-IX. matutina *Praecepta filii Latini* duce V. C. Schellero docebit. III-IV. *Notitiam librorum studiosis omnibus utilissimorum* tradet; ad Institutiones quoque Poeticas & Rhetoricas enucleandas paratissimus.

HENR.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER, Histor. P. P. O. Hora VIII. Historiam *Ecclesiasticam* N. T. duce Schroeckio, hor. X. Historiam Statuum *Europae* hor. XI. Historiam *Vniuersalem* ad Compendia propria docebit. Neque iis deerit qui Praelectiones in Historiam Imperii Procerum, Historiam Literariam, Heraldicam vel Statisticam desiderabunt.

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN tradet hor. VII - VIII. matut. *Notitiam rerum-publicarum Europae* f. *die Statistik*, ad proprium filum; hor. VIII - IX. *Oeconomiam forestalem* duce Succouio; hor. X - XI. *Ius naturae* & gentium secundum proprium libellum mox prelo subiiciendum; hor. XI - XII. *Oeconomiam politicam* f. vniuersas disciplinas camerales ad proprium systema; ad *praxin* quoque *politicam* explicandam & exercendam paratus, si sufficiens auditorum numerus id desiderauerit.

D. IO. WILH. BAVMER, histor. nat. & Chemiae Prof. hor. VIII. diebus *Gii* & *Hni* geographiam & hydrographiam subterraneas, a se editas, explanabit, temporibusque subseciuis, & vbi Vobis, Dn. Commilitones, commodum est, naturae opera, in ipsis eius officinis, ostendet. Eadem hora, diebus *D. O. Z.* & *Qis*, historiam suam naturalem regni mineralogici tradet, atque obiecta huc spectantia oculis subiiciet.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, Medicinam Veterinariam Erxlebio praeunte tradet.

IOH. PHIL. BREIDENSTEIN, Oeconomiae ruralis & Rei calculatoriae cameralis P. P. O. Hora IX. Oeconomiam ruralem, ad praecepta Succouii, more consueto, h. e. tradita nonnunquam examinaturus, docebit. Rei calculatoriae cameralis fundamenta, Wiedeburgio duce, Hora II. exponet. Horticulturam Hora XI. ad sua dictata fufus curatiusque, quam in explanatione oeconomiae ruralis fieri potest, explicabit. Hora III. in oeconomiam vrbanam, praeunte b. m. Dithmaro, commentabitur. Arithmetica theoretico practica Hora I. enodabit, ad omnia insuper quae muneris sui censerit possunt, inprimis quae ad laude dignissimam praediorum administrationem faciunt, tradenda, paratus.

GEORG. FRID. WERNER hora I - II. Geometriam practicam tradet; die Mercurii vel Saturni post meridiem cum Dnis Commilitonibus in campum exspatiabitur, exercendorum praeceptorum causa. Hora XI - XII. Collegium priuatissimum theoretico-practicum ad finem perducet.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ, SS. Theol. Profess. publ. extraord. Collegium exegetico - homileticum in epistolam Pauli ad Colossenses denuo instituet. In linguis sacris fundamenta cum ipsa textuum explicatione iungere perget.

D. IOAN. WILH. CHRISTIAN. BAVMER, Med. Prof. Publ. Extraord. Hor. I - II. pomerid. Physiologiam, praeunte b. Hallero proponet. Hor. II - III. diebus *Dnae* & *Qis* osteologiam, praemonstrante b. Scharfchmidio in tabulis osteologicis, tradet. Eadem hor. diebus *Grii* & *Hni* modum fascias chirurgicas applicandi, demonstrabit.

Præter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta *equitandi*, *pugnandi gladio*, *salsandique* palaestra, *Gallicae* item & *Italicæ* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

Giffæ, Ex Officina Brauniana.

